



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Compendivm Summæ Card. Toleti**

**Minucius, Genesisius**

**Sammieli, 1613**

Liber Secvndvs de tribus sacerdotis officijs in particulari.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41701**

LIBER  
SECUNDVS.

*De tribus Sacerdotis  
officiis in parti-  
culari.*



De dispositione ante celebra-  
tionem. Cap. I.

**D**E B I T A E dispositionis  
partes, quæ ante celebra-  
tionem desiderantur, pul-  
chrè hoc carmine describuntur.

Ieiuna, recita, expecta, tua cri-  
mina pande.



Primò dicitur \* Ieiuna nã Sa-  
 cerdos ad altare accedere non de-  
 bet nisi ieiunus à media nocte, na-  
 turali ieiunio. \* Recita, quia ante  
 celebrationem saltem matutinas  
 horas recitasse tenetur, nisi ratio-  
 nabili causa cõtrarium agere fue-  
 rit coactus. \* Expecta, Non omni  
 tempore celebrare licet, & hora,  
 sed ab Aurora vsque ad meridiem  
 duntaxat; potest tamen ex causa  
 rationabili aliquo paruo tempore  
 celebrari post meridiem. \* Tua  
 crimina pande, Sacerdos namque  
 lethalis culpæ conscius ante mis-  
 sam confessionis sacramento se  
 probare debet, nisi per accidens  
 non possit, vel quia deest cui con-  
 fitearur, vel sine scandalo, vt si iam  
 sit in altari in quo venit illi in mē-  
 tem peccati lethalis. Concil. Tri-  
 dent. Sess. 13. can. 7. & 11. In-  
 terdum vero nec ipsa confessio  
 sufficit, nam quando paruo tem-  
 pore peccatum præcessit, consul-



tius est eodem die non celebrare,  
alias peccatur saltem venialiter.

*De dispositione in ipsa celebra-  
tione. Cap. 2.*

**I**N ipsa celebratione quatuor  
sunt obseruanda, quæ hoc car-  
mine clarè monita cernere  
licet.

Apta, locus, vestis, tibi sint alta-  
re, minister.

\* Apta, & commoda omnia in  
ipsa celebratione esse debent, sed  
intèr hæc locus ille aptus habe-  
tur, qui est per Episcopum conse-  
cratus, si tamen esset necessitas &  
non posset adiri Episcopus, vt in  
itinere quando festo die sacrum est  
audiendum, vel communicandus  
aliquis in mortis articulo posset  
celebrari in non consecrato, et si  
quia iam rarò consecratur locus,  
fatis sit benedictio. Præterea debet  
abesse sanguinis effusionis pericu-  
lum, vt in mari, nec debet esse



pollutus seminis, vel sanguinis  
humani effusione nota, nec ex-  
communicatorum sepultura. Ve-  
stis etiam sacerdotalis non sordi-  
da, aut dilacerata, sed integra,  
munda, ac per Episcopum, vel  
Abbatem benedicta esse debet.  
Vestes sacerdotales sunt sex, quæ  
sacratissimæ passionis Domini no-  
stri Iesu Christi mysteria perbellè  
representant, ut ibi Toletus, &  
nos in Speculo ecclesiastico parte  
1. c. 3. lingua vernacula clarè ex-  
plicuimus. In altari ad celebra-  
ndum præparato plura requiruntur:  
Ara lapidea integra, & consecrata,  
Mappa, Corporalia, Vas, Liber, &  
Candela, ita ut celebrare sine libro  
vel vna saltem candela sit morta-  
le, quàmvis necesse non sit ut cādela  
sit cerea. Vas est calix cum patena  
consecrata, aurea, vel argentea, aut  
saltem ex stanno. Minister ido-  
neus est vir non fœmina, & vnus  
iam ex consuetudine sufficit.



*De dispositione post consecrationem. Cap. 3.*

**P**ost celebrationē etiam plura desiderantur notata digna, quæ hoc versu continentur. Sacrifica vna luce semel, nisi causa requirat.

Quamuis nonnulli doctores sacerdoti permittant sine culpa per totam vitam non celebrare, ego tamen verius arbitror, quod non legitime impeditus, ter, at quater in anno festis solemnibus celebrare teneatur, vti docet Sanctus Thom. 3. 82. 10. Siquidem, & non celebrans suspenditur, capi. dolentes, de celebratione missæ. Curatus verò tenetur celebrare iis diebus quibus populus obligatur ad sacrum audiendum, sed nemo tenetur quotidie celebrare ne quidem ratione Capellæ, nisi id possit salua reuerentia & honestate.

\* Vna



\*Vna luce semel, id est, vna die semel celebrandum vni, pluries enim celebrare vna & eadem die non licet, nisi his quinque casibus. \*Primo in Natali Domini, ad quod tamen nemo obligatur, sicut neque ad audienda plura sacra eodem die. Secundò, si propter tenuissimum redditum, quis habeat duas parochias, & die festo in vtraque sit celebrandum. \*Tertio, Quando in festo ex præcepto sanctificando, post missam peregrini adueniunt. \*Quarto. Si post missam superveniat Episcopus, nec adsit alius Sacerdos. \*Quinto. Si pro infirmo communicando deficiat sacramentum.

*Quid sit Missa. Cap. 4.*

**M**ISSA hebræorū idiomate dicitur Missach, Latine Oblatio, vnde in Psal. 140 Vbi vulgata nostra latina editio



habet eleuatio manuum mearum  
sacrificium vespertinum, hebraice  
habetur, Missach cappai, quæ Di-  
uus Hieronymus vertit oblatio ma-  
nuum mearum : quare & re ipsa  
Missa nihil aliud est quam \* obla-  
tio Corporis & sanguinis D. N.  
Iesu Christi, sub speciebus panis,  
& vini facta, & sacrificii ab ipso  
semel exhibiti expressiua.

*De partibus Missæ. Cap. 5.*

**M**issa in tres diuiditur par-  
tes. Prima ab introitu vs-  
que ad Offertorium. Se-  
cunda. Ab Offertorio inclusiue,  
vsque ad Postcommunionem ex-  
clusiue. Tertia a Postcomunione  
ad finem vsq;. In prima per epistolam  
& Euangelium populus instruitur.  
In secunda preparantur, & offe-  
rantur consecranda. In tertia, per  
orationem fit gratiarum actio. Cor-



pus & sanguis Domini sub speciebus panis & vini contenta, sunt sacrificium & sacramentum: Sacrificium quidem quatenus Deo patri offeruntur, in consecratione & sumptione à sacerdote. Sacramentum autem dicitur quatenus sub illis speciebus corpus, & sanguis Christi continetur, unde quod post missam in pixide asseruatur, sacramentum est, & non sacrificium.

*De valore missæ ratione sacrificii. Cap. 6.*

**E**X Missæ sacrificio duplex valor consurgit, alter ex actu offerentis, qui dicitur ex opere operantis, alter ex ipsa oblata: prior ex maiore charitas feruore augetur, posterior semper idē est, & est finiti gradus, nam etsi res oblata sit de se infinita, offerens, & oblatio, ex quibus valor attenditur, sunt finita. Iste autem valor



tria nobis conferunt bona. per modum meriti de congruo, bona temporalia per modum meriti de condigno ratione rei oblatæ, gratiæ augmentum. per modum satisfactionis, pœnæ remissionē. Per modum vero impetrationis, prodest, cū ad alia bona, tum pro mortuis.

*De iis quibus hoc sacrificium prodest. Cap. 7.*

**P**rodest offerentibus, & pro quibus offertur, offerentes sunt in triplici differētia, immediati, vt Sacerdotes: Remoti, vt populus Christianus: Medii, vt qui aliquo actu ad celebrandū cōcurrūt & hi sunt ministri, sacerdotes valentes, ecclesiam ei præbentes, qui intersunt sacro, &c. offerentium autem & in gratia existentium quilibet in suo meretur gradu, & propinquiores magis. Immediati, &



medii aliquam peccatis pœnæ de-  
bitæ remissionem, & gratiæ aug-  
mentum: Remoti autem tantum  
pœnæ remissionem. Ex maiori  
offerentium numero non minui-  
tur alicui valor, nam sacrificium se  
habet ad singulos, ac si pro se sin-  
guli illud offerrent.

*De resolutione triū dubiorū cir-  
ca Missæ Valorem. Cap. 8.*

**R**esoluitur\* primū si dicatur  
quod respectu sacrificii ex  
opere operato, & oratio-  
num oblatarum ab ipso Sacerdo-  
te in persona publica Ecclesiæ, va-  
lor missæ boni, & mali Sacerdotis  
idem est quod ad alios: nam ma-  
lus semper sibi nocet. Respectu ve-  
ro orationū, quas malus Sacerdos,  
vt persona particularis offert eæ  
nulli prosūt, ideò vt sic minus etiā  
valet Missa mali Sacerdotis quam



boni. \*Secundū. Missa de Requiem ex parte orationis magis, prodest defunctis quam alia de festo. Ex parte verò sacrificii idem valet de Requiem, & de festo. \*Tertiu soluitur dubiu, si dicatur, quod Missa pro multis oblata, nec quo ad poenae satisfactionem, nec quo ad gratiae augmentum quod datur ex opere operato, ita singulis prodest, ac si vni tantum applicaretur, nam hic gradus gratiae, & satisfactionis in hoc sacrificio est finitus. Quare Sacerdos plurium eleemosynas pro multis missis dicendis, recipiens, non potest vnica tantum satisfacere, & extra necessitatem aliter faciens peccat mortaliter, & est restitutioni obnoxius.

*De remediis circa pericula accidentia in Missa adhibendis.*

Cap. 9.



**P**rimo quādo Sacerdos morte, vel graui infirmitate ante consecrationem impēditur ne sacrificium absoluat, non est per alium Sacerdotem perficiendum: si autem post consecrationem, alius supplere debet, modò sit in gratia, etiamsi ieiunus non sit. Si verò Sacerdos ille esset concubiniarius vel in peccato mort. non teneretur quidem ad hoc, nisi esset graue scandalum ex sacrificio imperfecto, quo euentu deberet confiteri si posset, sin minus cōteri, & absoluere sacriū. Vbi autem maneret imperfectum, deberet sacramentū in sacrariū deferri, & in crastinum consertari. Si in Missa Sacerdos recorderetur alicuius peccati mortalis, cui non sit annexa excommunicatio aut irregularitas coneratur & pergat, sin verò tali peccato illa essent annexa vel ipse non esset ieiunus, si id fiat ante consecrationem discedat si



possit cura graue scandalum: si  
vero post consecratione n, absol-  
uat, nam inde nec excommunica-  
tionem nec irregularitatem con-  
trahet modo culpa sua non fuerit  
oblitus. Si in Calicem venenosum,  
ante consecrationem incidat, de-  
bet nouum vinum apponi, & aliud  
proici, si post consecratione, con-  
seruandum in sacratio donec spe-  
cies corrumpantur, & infundatur  
postmodum in piscinam. Si tur-  
pe aliquid ac horrorem generas  
debet extrahi & lauari, & lotio  
post sanguinem sumi, res autem  
ipsa comburi & cineres in sacra  
loco fernari. Si Sacerdos in al-  
tari recordetur ante consecratio-  
nem, se aquam non apposuisse,  
apponat: si vero recordetur post  
eosecrationem, aquam relinquat,  
& persequatur sacrificium, si au-  
tem deprehendat id quod infudit  
non fuisse vinum, apponat de no-  
uo, quia necessarium & tunc con-



secret, & sumat.

Si per negligentiam cadat sanguinis gutta in mappam sorbeat & lauet, & lotio seruetur in loco sacro: si in tabula, lambat, & radat deinde tabulam: si in terrâ, ipsam similiter radat, coburat, & cineras seruet in loco sacro. Si hostia sacra è manu sacerdotis in calicem cadat, & nulla possit fieri fractio propter humiditatem, relinquat, & sacram continuet, quia huiusmodi non sunt de essentia sacrificii. At si Ecclesia corruat, vel inimici aduentiant sacerdotem occidere volentes, ante consecrationem fugere poterit, si autem post, sumat, & deglutiat, vel secum in corporalibus deferat, non enim tenetur subire mortem, nisi tales inuasores in fidei contemptum id facerent.



*Quid sit diuinum officium.*  
Cap. 10.

**A**D sacerdotem sacrificium offerre, & diuinum officium recitare iure spectat. Diuinum autem officium est laus Dei voce expressa per Ecclesie institutionem determinata; Dicitur hora canonica, à tempore in quo hæc laus habenda est, quia canones certa tempora statuerunt, & horas, quibus determinatæ laudes sunt Deo exsoluendæ, & ob id ipsa Dei laus hora dicta est canonica. Dicitur etiam debere fieri voce quia ad hoc genus officii non satis est Deum laudare mente, sed vox articulata necessaria est, ita ut secus, non satisfiat præcepto.

*De numero horarum Canonica-  
rum. Cap. 11.*



**H**ora Canonica, que diu-  
inum dicuntur officium, sep-  
tenario numero constant:  
Matutina videlicet, Prima, Tertia,  
Sexta, Nona, Vespera, & Comple-  
torium, Septem enim sunt homi-  
nis aetates, quibus omnibus laudā-  
dus est Dominus. Infantia, Pueri-  
tia, Adolescentia, Iuuentus, Virili-  
tas, Senectus, & Decrepita aetas. Se-  
ptem similiter sunt sancti spiritus  
dona. Septem mundi aetates, &  
septem horarum, quibus tota Christi  
passio completa est, & harum ho-  
rarum mysterio praedictae horae  
Canonicae ab Ecclesia sunt insti-  
tuta, ut his carminibus docemur.

Matutina ligat Christum, qui  
crimina purgat,

Prima replet spiritibus, dat causam

Tertia mortis,

Sexta cruci nectit, latus eius

Nona bipertit,

Vespera deponit, tumulo com-  
pleta reponit.



*De iis qui horas Canonicas persol-  
uere tenentur. Cap. 12.*

**C**Lerici beneficiati, etiam si Primam Tonsuram, tantum habeant, horas has Canonicas, recitare tenentur. Præterea qui in maioribus Ord. sunt constituti, vt Subdiaconi, & Diaconi etiam si beneficio careant, ad has horas tenentur, ita vt peccet mortaliter in singulatum horarum omissione. Monachi, & Religiosi, ac etiam Moniales, que professionis votum emisserunt, eodem onere gravantur, & eas omitentes, peccant mort. Beneficiati vero ultra peccatum mortale, post sex menses, pro rata tertiæ partis redditu, ad restitutionem tenentur, quæ faciendâ est Ecclesiis aut pauperibus vel Canonicis si in Canonicatu degant, quod debet intelligi saltem respectu distributionu.



Ad nullam tamen restitutionem tenentur, si verè recitauerint etiam si id fecerint sine vlla attentione, & eadem est ratio aliorum redditu qui sumuntur ex communi aliqua massa quæ erat inter reliquos canonicos diuidenda.

*De Circūstantiis in Diuino Offi-  
cio obseruandis. Cap. 13.*

**C**ircūstantiæ in horis Canon. persoluendis sex sunt. Numerus, Ordo, Qualitas, Tempus, Locus & Modus, Clerici maioribus ordinibus insigniti, & Religiosi professi singulis diebus septem horis Canon. persoluere tenentur, ita vt si vnã integrã vel eius partem notabilem omitant, peccent mortaliter. Presbyteri iuxta Episcopatus sui ritum, & Monachi iuxta illud sui Ordinis recitare debent, alias peccant



mortaliter, si alienum sine causa rationabili sequatur. Qui recitant Breuiarium Romanum, nec ad preces Beatę Virginis, nec ad officium Defunctorum obligantur nisi in choro & in die defunctorum. Tempus cuiuslibet horę proprium est à media nocte, videlicet antecedentis diei, vsque ad aliam sequentis. Hora matutina potest persolui etiam post occasum antecedentis diei. Modus est vt attentè, reuertenter, & deuotè dicatur. Attentio Triplex: circa verba, vt nempe singula distinctè pronuntientur: & actualis, vel saltem virtualis est necessaria. Alia est circa verborum sensum. Tertia circa orandi finem. Dum missę quis interest deuotas vnà ibi preces recitare poterit, & etiam horas canonicas, cum ad eundem ordinentur finem, & præceptum audiendi Missam non cogat Missæ verbis intendere, sed tā



tum sacrificio interesse. Etsi ordo horarum non sit in præcepto extra chorum, illam tamen pervertere veniale est, atque idem est de tempore, nisi ex causa utriusque fiat.

*De causis excusantibus ab officio persolueno. Cap. 14.*

**S** Ex sunt causæ excusantes, Infirmetas grauis: qua durante nemo tenetur loco horarum aliud dicere. Occupatio alterius negotii magni ponderis, vt cōcio, vel lectio publica, vel infirmi cura. Breuiarii inculpabilis defectus. Papæ dispensatio. Beneficium tenuissimum non excedens redditum octo ducatorum, ex soto & aliis: probabilius tamen est etiam tunc teneri cum nullus Canon eū excuset. Defectus fructus beneficii, qui post adhibitam debitam diligentiam, nec per se, nec per alium percipi possunt, nec



vlla est spes eos percipiendi, ex quo sequitur eum qui cum habeat solum titulum, si redditus beneficii alteri à Papa concedantur ad nihil teneri.

*Quid sit sacramentum. Cap. 15.*

**S**acramentum est \* signum sensibile, spiritualis animæ sanctificationis, ad cultum veri Dei à Christo Domino institutum. Sacramentum est signum rememoratiuum, demonstratiuum, & prognosticum: est rememoratiuum passionis Domini, effectiue nos sanctificantis. Demonstratiuum, gratiæ nos formaliter iustificantis & prognosticum gloriæ, ac futuræ beatitudinis nos finaliter sanctificantis.

*De iis quæ in sacramentis sunt necessaria. Cap. 16.*

---

Quatuor



**Q**uatuor sunt de Sacramen-  
 ti necessitate : Materia, vt  
 aqua in Baptismo . forma,  
 vt verba hæc Ego te baptizo in no-  
 mine Patris & Filii & Spiritus san-  
 cti: Intentio ministri, quæ esse de-  
 bet conferendi ipsum sacramentū,  
 & faciendi, quod facit Ecclesia, aut  
 Ecclesiæ minister : & sufficit vir-  
 tualis, id est quod eo animo ad  
 sacramentum conferendum acce-  
 dat. Vltimo etiam intentio susci-  
 pientis requiritur, si adultus sit,  
 nam in paruulis supplet Ecclesia.  
 Ad hæc sequitur sacramentorum  
 effectus, qui est duplex, communis  
 vt gratia, & particularis, vt cha-  
 racter, qui est spiritualis potestas  
 quæ imprimitur in intellectu in-  
 deletibiliter, ita vt in mortuis etiam  
 permaneat : vnde si quis mor-  
 tuorum baptizatus resurgeret, non  
 esset iterum baptizandus. Vterque  
 confertur ex opere operato, hoc  
 est ex vi sacramenti, & tria tantum



sacramenta characterē imprimūt,  
 scilic. Baptismus, ad recipienda sa-  
 cramenta, ordo ad cōferenda, Cō-  
 firmatio ad fortiter agēdū pro fide

*De numero, & sufficientia sa-  
 cramentorum. Cap. 17.*

**E**cclēsię orthodoxę sacramē-  
 ta sunt septem : Baptismus,  
 Confirmatio, Eucharistia,  
 Pœnitentia, Extrema unctio, Ordo  
 sacer, & Matrimonium. Quorum  
 sufficientia sumitur ex similitu-  
 dine ad perfectionem vitæ corpo-  
 ralis. Homo namque in se primo  
 perficitur in vita corporali per  
 generationem, qua recipit esse  
 secundo, per augmentum, Tertio  
 per nutritionem qua cōservatur,  
 Quarto per medicinam post in-  
 firmam sanitatem cum reliquis in-  
 firmitatis per abstinentiam expel-



lit: Deinde in ordine ad alios per dignitatem, qua alios gubernat: secundo per Matrimonium quo Rempubicam conseruat. sic pariter homo in vita spiritali primò nascitur per Baptismum. Dehinc per confirmationem roboratur. Per Eucharistiam nutritur. Per pœnitentiam à peccatis sanatur. Per extremam vnctionem reliquias peccatorum expellit. Quo ad alios per ordinem perficitur, quo potestatem habet aliis sacramenta administrandi: per Matrimonium omnium hominũ multitudinẽ conseruatur, ex quorum congregatione Ecclesia consistit.

*De Materia remota, & propinqua Baptismi, Cap. 18.*

**B**aptismus est\* Ablutio corporis exterius facta sub præscripta forma uerborũ, unde mat.



remota illius est aqua : propinqua  
ipsa ablutio. Aqua debet esse ele-  
mentaris, vnde in vino, ceruisia,  
lacte, herbarum liquoribus, spu-  
to, & sudore, vrina, nineque, non  
potest fieri Baptismus. Potest in  
lixiuo, carniam brodio, seu pis-  
cium, quando nō est tanta mistio,  
quod aquæ substantiam amittat,  
extra necessitatem debet esse in  
aqua pura, benedicta. & chrisma  
te eiusdem anni. Ablutio potest  
fieri per effusionem, asperionem,  
& immersionem, vnicam, vel  
ternam iuxta proprię Ecclesię ri-  
tum. Debet etiam esse actus ad  
ablutionem ordinatus, vnde qui  
puerum in profundum flumen  
demittit, vt baptizetur, si suffocetur,  
non baptizat, sed occidit, & est  
irregularis, sufficit tamen asper-  
sio in necessitate, & fieri debet su-  
pra caput si possibile sit.



*De forma Baptismi. Cap. 19.*

**V**Nica est baptisimi forma, sed triplex eam exprimendi modus, quorum primus est Græcorum dicentium: Baptizetur seruus Christi talis, (exprimendo nomen eius) in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen. Secundus est Latinorum: Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Tertius est sub dubio: Ut si es baptizatus non te baptizo sed si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen. Est vero obseruandum in omni forma, ut simul forma sit moraliter cum materia seu ut moraliter eodem tempore proferatur, quo materia applicatur, nec vlllo modo varietur, quia omnis variatio sine necessitate est peccatum, & si sit circa substantialia tollitur baptisimi



veritas, & ex consequenti eius effectus, vt si quis omittat te, vel non explicet clarè personas Trinitatis. Mutationes autem quæ in genere possunt in formis sacramentorum contingere, & vitari debet, sex sunt his versibus comprehensæ.

Nil formæ deuias, nil ponas,  
nil variabis.

Transmutare caue, corrumpere,  
re, verba morari.

*De Baptismi Ministro. Cap. 20.*

**D**uplex est Baptismi minister vnus ex officio, alter ex necessitate: ex officio est solus Sacerdos curatus, adeò quod extra necessitatem, quilibet à parrocho baptizans, peccet, & si laicus sit, fit irregularis si solemniter baptizet. Minister necessitatis est duplex. Alter ex speciali Dei ordinatione, vt angelus isterdum:



Alter ordinarius, vt omnis homo, cuiusvis status, sexus, & conditionis, rationis capax, etiam Iudæus, Paganus & Hæreticus, si debita intentione baptizet, nempe ex intentione faciendi quod facit Ecclesia, vel vt baptizandus petit qui tali intentione petit, debet autem qui inferior est semper cedere superiori, vt fœmina viro, laicus clerico, idque per se loquendo.

*An omnes sint baptizandi.*

Cap. 21.

**A** Promulgato Euangelio omnes ad Baptismum suscipiendum tenentur sine quo nemini salutis aditus patere potest Ioh. Cap. 3. Pueri tamen infidelium non sunt inuitis parentibus baptizandi nisi ipsimet filii id velint, si tamen baptizarentur, teneret Baptismus, & utroque euentu essent subtrahendi à cura parentum. In adulto requiritur triplex dispo

I iii;



fitio, propria intentio, fides, & peccatorum dolor, intentio saltē virtualis, est necessaria ad veram susceptionem sacramēti: fides, & dolor ad susceptionē gratiē sacramēti

*De effectibus, & Baptismi speciebus. Cap. 22.*

**Q**uartor sunt Baptismi effectus, \* Primus est gratiā infusio, qua remittitur peccata. \* Secundus est Remissio totius pœnæ peccatis debitæ. \* Tertius character. \* Quartus irregularitatis ablatio, præter Bigamiā. Baptismus est triplex. Aquæ, sanguinis, & flaminis. Differunt, quia Baptismus aquæ imprimit characterem, non autem alii duo. Baptismus aquæ, & sanguinis, totam delent pœnam peccatis debitam. nō autē illud flaminis, qui quidem adulterum est dumtaxat, fluminis



& sanguinis etiam paruulorum,  
quare si puer in ventre matris in  
odiu fidei occidatur, est martyr.

*De solemnitatibus Baptismi.*

*Cap. 23.*

**S**olēnitates Baptismi sine qui-  
bus nemo extra necessitate  
baptizari debet, & si præter-  
missa sint debent postea suppleri,  
sunt in duplici differētia, quædam  
antecedunt Baptismum, alix sub-  
sequuntur. Antecedentes sunt tres  
Catechismus, quo Baptizandus  
circa fidem instruitur. Exorcis-  
mus quo malignus spiritus, insaf-  
flando abiuratur, & unctio o-  
lei sancti quæ ad exorcismum re-  
fertur. Post Baptismum sunt tres  
ceremoniæ : Prima signatio sin-  
cipiis chrismate. \* Secunda Vestis  
Candida : Tertia candela accensa.  
Sunt etiam, & patini ad summura



duo, vir, & fœmina, quamuis alter horũ tantum, sufficiat, vt monet Concil. Trid. sessione. 24. Cap. 2.

*De Sacramento Confirmationis.*  
Cap. 24.

**B**aptismi sacramentum sequitur, illud Confirmationis, quod cetera præcedit. Huius materia est Chrisma ex oleo oliuarum, & balsamo confectum (si ne quo sacramentum imperfectum esse videtur) consecratum ab Episcopo consecrato. Forma sunt illa verba, Configno te signo crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & spiritus sancti, Amen. Minister huius sacramenti ordinarius est Episcopus: dispensationis simplex sacerdos, debet verò Chrisma quo constat esse eiusdem anni, subiectum eiusdem sunt. Viri, &



fœminæ vsum rationis habentes, baptizati, sine pec. mortali, & ieiuni sal. & ex decetia. Eiusdem sacramenti effectus tres sunt. Character scilicet, gratia, & affinitas Inter confirmatum & patrinum. Necessarium non est necessitate salutis: illud tamen omittere peccatū est.

*De Materia Sacramenti Eucharistie. Cap. 25.*

**M**ateria huius sacramenti duplex est, panis scil. azizus purus, ex frumento, & aqua elementari confectus, in Ecclesia Latina, nam Græci etiam in fermentato ritē consecrant. & vinum ex vuis, non agresta, neque acetum, & cum vino adhibendum est paululum aquæ, quamuis sine ea, valida sit consecratio. Vtraque materia debet esse certa, & determinata in intentione consecratis, & sacerdoti præsens, saltem præ



sentia morali. Hæc tamen duplex materia vnicum tantum constituit Sacramentum, sicut vnus in eo Christus continetur, vnaque re-  
fectio spiritualis, & vnus Ecclesie vnitas præfiguratur.

*De forma Consecrationis corporis, & sanguinis, & Sacramenti efficacia. C. 26. 27.*

**F**orma similiter duplex, panis, & vini: panis est: Hoc est corpus meum, peccaret tamen qui prætermitteret particulam (enim, Sanguinis: Hic est calix sanguinis mei, noui & æterni testamenti mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Quæ verba esse sint omnia de necessitate præcepti, non tamen de necessitate Sacramenti. Huius Sacramenti efficacia non in applicatione mate-



riæ consistit, vt in aliis sacramen-  
tis, sed in materiæ consecratione,  
quæ fit virtute verborum: verbis  
enim illis prolatis: Hoc est corpus  
meum, nulla panis remanet sub-  
stantia, sed accidentia sola, quan-  
titas scilicet cum colore, sapore, &  
odore, & primis qualitatibus, quæ  
dicuntur species panis, sub quibus  
est verum Christi corpus præsens,  
vt fides docet, simul cum anima &  
diuinitate.

*De Ministro, & suscipiente.*

Cap. 28.

**D**vo sunt huius sacramenti  
ministri, sacerdos quilibet  
respectu consecrationis, &  
sacerdos cui id ex officio incûbit,  
vel commissione, respectu colla-  
tionis. suscipiētes sunt pariter duo  
vnus suscipiens & consecrans, vt  
sacerdos celebrans, alter suscipiens  
tantum, vt sacerdos cum sacrum



non celebrat, & laicus quando communicat. Quando enim sacerdos celebrat, sacramentum hoc sub utraque specie sumere debet, alias sub sola specie panis, ut & laicus, qui ad hoc 4. condiciones habere debet. \* Primò namque oportet, quod adultus sit, nã infantibus, & pueris infra 12. annum dari non debet. \* secundò debet esse rationis capax, non demens, vel phreneticus. \* Tertio, sit ieiunus oportet, nisi mortis periculum immineat infirmo. \* Quarto necessaria est confessio actualis in mortali existenti, contritio namque cum proposito confitendi nõ sufficit nisi in necessitate, ut supra Capitulo primo est dictum. Peccatum autem veniale etsi non impediatur effectum gratiæ habitualis, obstat tamen feruori charitatis. Meretrices verò publicæ, usurarii, histriones, concubinarij notorii à communione procul arcend.



sunt, nisi post pœnitentiam.  
*De modis suscipiendi hoc Sacra-  
 mentum, & defectibus, ac  
 nominib. C. 29. & 30.*

**Q**uatuor sunt sacramentum  
 Eucharistiæ suscipiendi mo-  
 di. \* Primus in figura, quæ,  
 ad modum prisci illi patres veteris  
 testamenti. \* secundus spiritualiter  
 tantum, ut qui desiderio & voto.  
 \* Tertius sacramentaliter tantum,  
 ut cum quis imparatus species sa-  
 cramentales suscipit. \* Quartus,  
 sacramentaliter, & spiritualiter si-  
 mul, uti sacramentum dignè sus-  
 cipientes. Effectus quatuor, \* pri-  
 mus effectus est, gratiæ infusio cum  
 virtutibus & donis, qua quidem  
 gratia interdum remittitur p. m.  
 ut in confesso qui tamen nec dum  
 sua culpa, vel quovis alio defectu  
 recepit gratiam, melius verò po-  
 stea disponitur, vel in eo, qui vr-



gente necessitate attritus, communicavit, putans se contritum. \* Secundus est spiritualis resectio. \* Tertius præservatio à peccatis. Quartus est, fomitis extinctio seu repressio. Nomina similiter quatuor huic sunt Sacramento, primum Eucharist. id est bona gratia, continet enim Christum omnis gratiæ auctorem: Dicitur & sacrificium, quatenus continet eundem Christum, qui per mortem se obtulit hostiam patri pro peccatis. Viaticum tertio appellatur, quia ipso mediante infirmi perveniunt ad montem Oreb. id est vitam æternam. Communio etiam, seu synaxis, quia est Sacramentum unionis, in quo Christiani uniantur. Vocatur etiam sanctissimum sacramentum \* per excellentiam quandam, quam habet inter cætera sacramenta.